



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XX. De Feudis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

est, proficit, neutrum inveniendum de-
 velinquit. *can. Si quis obierit* 1. q. 3.
 as, qui in Ecclesia in titulum collata &
 cujuscunque beneficii Ecclesiastici permuta-
 tione excessum proventuum re tempo-
 rali sine auctoritate Apostolica com-
 pensat, hanc pro titulo quoque & spi-
 rituali officio, cui illi annexi sunt, ex-
 hibere censetur: quod Simoniacum esse,
 patet ex ipsa Simonia definitione, qua
 esse dicitur *Studiosa voluntas emendis aut
 vendendis spirituale vel spirituali anne-
 xum*, *Glossa in Causa 1. Summa V. Qui-
 dam* & S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 1.
 38. ad 4. Me praecipue movet partim;
 quod resignatio, cum pensionis sive por-
 tionis fructuum reservatione, sit & ac-

censetur resignationibus conditionalibus
 invalidis, nisi fiant in manibus Papae
 approbantis, per tradita *Lib. 1. tit. 9. de
 63.* partim vero auctoritas Juris Ecclesi-
 astici portiones de temporalibus, & maxime
 de pecunia danda pro spirituali auctori-
 annexo rejicientis. *can. Quam pio* 1. q. 2.
can. Nemini 16. q. 7. c. *Cum priore* 4.
e. fin. de Patis c. Quaesitum 5. & c. *hu-
 hic.* Contra quorum textum absolutam
 tam & generalem prohibitionem Eccle-
 siarum, qua in titulum conferuntur, &
 caeterorum beneficiorum Ecclesiasticorum
 permutationes cum ejusmodi com-
 pensatione admittendi vel approbandi so-
 cultas Papa inferioribus Praelatis, saltem
 generaliter, indulta nusquam reperitur.



TITVLVS XX.

De Feudis.

Cum Rerum Ecclesiasticarum In-
 feudatione earum dominium,
 non quidem Plenum, ut Per-
 mutatione: sed, sicut Em-
 phytevis, Utile duntaxat in Vasallum ab
 Ecclesia transferatur, Jure prohibitis re-
 rum Ecclesiasticarum Alienationibus me-
 xito etiam ipsa adnumeratur.

ARTICVLVS I. De Feudi Natura & Varietate.

SUMMARIUM.

1. Etymon & natura Feudis

2. Quod benevolens & perpetuum,
3. Res immobiles hisque agrorum cultus,
4. Cum translatione dominii utilis,
5. Sub obligatione Fidelitatis,
6. Et honesti obsequii personalis con-
ceduntur.
7. Differentia Feudi à Contrahitibus aliis,
8. Et ab ipsa Emphytevis.
9. Divisiones Feudi in Proprium & non
Proprium,
10. Ecclesiasticum & Seculare,
11. Nobile & non-Nobile,
12. Regale & non-Regale,
13. Ligium & non-Ligium, & Proprium
cum & non Francicum,
14. Masculinum & Femininum.

15. *Novum & Antiquum*,
16. *Et Hereditarium, Gemillitium vel Mixtum.*

Feudi nomen aliqui à *Federe*, vel potius à *Fide & Fidelitate* Latinis, Feud. *Lib. 2. Tit. 3. §. 1.*
V. *Nulla*: Alii verius à vocibus *Fede* aut *Feida* Germanis ac Francis, Bellum atque inimicitias denotantibus, derivatum, defumunt ex LL. Longobardorum *Tit. 30. & 58.* & Francorum *Lib. 4. Tit. 49.*

Est autem Feudum, undecunque derivetur, Benevola & perpetua concessio rei immobilis aut ei æquivalentis, quæ illius dominium utile, ejus proprietate retentâ, in alterum transfertur sub obligatione fidelitatis & servitii sive obsequii personalis, Clarus *§. Feudum q. 4.* & Rosenthal *Tractat. Feudal. cap. 1. concl. 3. n. 1.* In qua concessione is, qui rei dominium utile, retentâ solâ ejus proprietate sive dominio directo, in alium transfert, Dominus vel simpliciter, vel cum addito Directo, vulgo *Der Lehensherr*: is autem, in quem ejusmodi dominium transfertur, Vasallus & Feudatarius, vulgo *Der Lehenträger* vel *Lehensmann* appellantur. Quare

2. Feudum, juxta allatam definitionem, imprimis conceditur *Benevole & Perpetuo*. Prius; quia est, & Feud. *Lib. 2. Tit. 23.* atque alibi passim vocatur beneficium, & à domino ordinariè gratis, non pro pretio concedi solet; ut pro honore suo Vasallum ad fidelitatem & servitium habeat obligatum, Feud. *Lib. 1. Tit. 27. pr.* Quodsi aliquando pro eo pecunia exhibeatur, à natura Feudi propria aliquantum degenerat, & accedit ad Emphyteusin. Accedit; quod Feudum, cum juxta *Lib. cit. Tit. 7. & 20.* emitur, valore suo pretium multum ex-

cedat, ac proinde beneficii naturam non amittat, Rosenthal *cap. cit. concl. 2. n. 8.* & Haunold. *Tom. 3. de I. & I. Tract. 9. n. 585.* Posterior; quia Feudum regulariter ad ejus, à quo est acquisitum, descendentes & hæredes masculos omnes extenditur, Feud. *Lib. & Tit. 1. §. 4.* & si ad certum duntaxat tempus concedatur, à natura Feudi propria recedit, Zasius *Epirom. Feud. p. 12. n. 4.*

Deinde constituitur *In rebus solum immobilibus*, sive soli solvæ coherentibus, Feud. *Lib. 2. Tit. & §. 1.* ut sunt Ducatus, Marchionatus, Comitatus vel alia territoria: civitates, castra, villæ, prædia, fundi, molendina, ædificia, ususfructus, jurisdictio: quibus lacus, stagna & flumina accensentur: & in iis, quæ inter immobilia connumerantur, *§. 1. cit.* ut annui redditus de camera vel camera Principis, & alii proventus annui ex re non tantum immobili, sed etiam huic æquivalente, vg. ex Societate vel Mensa alicujus nummularii debiti &c. Schrader *de Feud. p. 3. cap. 2. & 3. utrobique à n. 1.*

Tertio, Feudum *Transferitur rei dominium utile, directo apud Dominum remanente*; Vasallus enim majus jus, quam usufructuarius habet, cum; quia usufructus cum illius persona regulariter extinguitur, *l. Sicut 3. §. fin. ff. Quibus modis Usufruct. amitt. & §. Finitur 3. Instit. de Usufructu*: Feudum autem transit ad hæredes, *§. 4. cit.* tum verò; quod usufructus alicui cedi nequeat; & si cedatur, ad hunc non transeat, sed ad dominum proprietatis revertatur, *l. Si usufructus 66. ff. de Jure dotium*: contra Feudum alteri locari, imò concedi in feudum sive subinfeudari queat, Feud. *Lib. 2. Tit. 24. §. 2.*

Quarto, ratione Feudi vasallus domino obligatur *ad Fidelitatem*, præcipue ex-

T r

pue ex-

puè exigentem; ne dominum in persona, honore aut rebus suis lædat, aut ad læsionem, & damnum ab aliis inferendum consilio aut factò cooperetur: quin potius; ut ea impedire, & ad illatorum reparationem concurrere pro viribus conetur. Est autem Fides, seu Fidelitas, de Feudi substantia, cit. Lib. 2. Tit. 3. §. sine; cum sine ea feudum nequeat acquiri: & quantumvis juramentum fidelitatis remittatur, vasallus tamen ad omnia in ejus juramento contenta maneat adstrictus: imò non valeat pactum, quò expressè convenitur; ne pro feudo ad fidelitatem exhibendam domino vasallus sit obligatus, Schraderus de Feud. p. 6. cap. 2. à n. 25.

6. Demum idem *Ad Servitia sive obsequia personalia*, intellige, licita & honesta domino, cum se adversus hostes bellum moventes defensusus aut his bellum illaturus &c. ea exegerit, per se vel, si ipse ob senium, infirmitatem, aut aliam similem causam impediatur, aut ei investiturâ permittatur, per aliû exhibenda, obligatur, Feud. Lib. 2. Tit. 23. in fine. Unde & debita servitia vocantur, *ibid.* Tit. 55. pr. etiam si feudum, nullâ eorum mentione factâ, sit concessum; cum, quæ naturaliter insunt, quamvis sint omissa, subintelligantur tamen & pro expressis habeantur, arg. l. Cum quid 3. ff. de Reb. credit. Pacto tamen contrahenti, ne pro feudo servitia præstentur, conveniri potest, Lib. cit. Tit. 104. cit. Schrader p. 6. cap. 6. n. 37. & Rosenthal cap. 8. conclus. 8. n. 2.

7. Differt Feudum ab aliis Contractibus plerisque; quòd eò res non ad custodiam vel ad crediti securitatem, ut Depositò, Pignore: neque, ut Precariis, Commodato, Locatione, illâ solummodo utendi aut etiam fruendi fa-

cultas: neque ejus plenum, ut Venditione, Permutatione, Mutuò, acceperet etiam Donatione: sed, sicut Emphyteusi solum utile dominium in accipientem seu vasallum à domino transferatur. Ab Emphyteusi autem differt: quòd, eò sicut ista, etiam ipsum Nominatus & stricti Juris Contractus sit: & sicut Feudò, sic etiam Emphyteusi rei immobilis utile dominium, & aliquando perpetuò transferatur: atque insuper, licet inter vasallos Feudalia, sic Emphyteutica bona inter emphyteutas dividi, dominò non requisitò, possint: eòque ob causam à Feudo ad Emphyteusiam, & vicissim ab hac ad illud, cum eadem utriusque ratio, & casus Jure non decidit est, duci valet argumentum, ut vide re est apud Everard. Legal. arg. loc. 29. & 30. Et si, inquam, ita conveniant, non una tamen inter utrumque Contractum differentia intercedit; quia impio mis res Emphyteusi ex fine suo primario ad culturam & meliorationem, & sub canonis seu pensionis certis temporibus solvendæ: Feudò autem ea simpliciter & sub Fidelitatis ac servitii fere intercedit & cum dominus exegerit, præstanti obligatione conceditur. Deinde in Emphyteusi, etiam simpliciter recepta, de Jure communi tam masculi quam feminae, Novell. 7. cap. 3. pr. in Feudo autem ita receptò, & eò Jure spectatò, solum masculi succedunt, Feud. Lib. 1. Tit. 11. §. Hoc autem 1. & Tit. 8. §. Filia 2. Preterea Emphyteuta hæres renovationem Emphyteusis petere non tenetur: in Feudo autem à singulis successoribus petenda est Investitura, Feud. Lib. 2. Tit. 26. §. 4. V. Omnes filii. Demum, Feudum sine consensu domini alienari nequit, Lib. cit. Tit. 55. Emphyteusis autem alteri legari: imò & vendi potest: dummodo venditio denuntietur domino, & hic eam e-

eam emere solle; *f. fin. de Locato.*
 Alias differentias dabunt Feudista.

9. Feudi divisiones plurimæ, ex iisque celebriores octo sunt. Prima eaque summa in Proprium & Improprium. Prius, etiam vocatur Rectum, & est, quod feudi naturam Ordinariam ejusque substantialia, nullò statuto, consuetudine vel conventionem immutata, retinet; quod ex benevolentia domini, super re immobili, pro hæredibus masculis, sub fidelitatis juramento promissæ & obsequiorum personarum incertorum obligatione, per investituram fit constitutum, & post mortem vasalli ac domini renovandum fit: quod rei dominium verum seu directum penes dominum debeat remanere, quasi vel utile dominium transire ad vasallum, à quo neque invito sine culpa auferri, neque sine domini consensu alienari queat: quod ordinariis & Uilibus Fendalibus proditis modis acquiritur & amittatur &c. Posterius sive Improprium & non-Rectum feudum est, quod propriam feudi naturam non habet; quod huic statuto consuetudine, conventionem seu pacto fit derogatum. Unde etiam Degenerans Feudum appellatur, ut *vg. feudum Francum & Feminæum.* In dubio omne feudum Proprium & Rectum esse præsumitur, licet in uno alterove à feudi Proprii natura degeneret: dummodo in aliis tamen retineat proprii naturam: & aliam contrahentium mentem fuisse non probetur, Decius *in c. Ceterum 5. de Judiciis n. 6. in fine, cit. Schrader cap. 4. n. 73. & Rosenthal cap. 2. concl. 54. n. 1. & 2.*

10. Secunda in Ecclesiasticum & Seculare: quorum illud Schrader *p. 2. cap. 3. n. 17.* esse asserit, quocumque Ecclesia alicui concessit, vel ab alio accepit. Sed, meò quidem iudicio, melius laudatus Rosenthal *cap. 2. concl. 5. & Fa-*

gnanus *in c. Verum 7. de Foro compet. n. 29.* pro Ecclesiastico illud solum habent, quod ab Ecclesia sive ejus Prælo de bonis ad Ecclesiam, Monasterium &c. pertinentibus: Seculare autem vocant, quod à Principe vel alio domino seculari, imò etiam à Prælo Ecclesiastico de bonis patrimonialibus constituitur; ut proinde hac in re non tam persona domini concedentis, quam bona, sive res immobilis eive coharens vel æquivalens in Feudum concessa, an Ecclesiastica vel Laicalis fit, attendatur, ut rectè observat Lud. Engel *ad hanc Rubr. §. 1. n. 2.*

Tertia in Nobile & non-Nobile: **11.** quorum illud possessorem suum sive accipientis personam nobilitat vel, qui prius erat, nobilem esse ostendit; quod vel annexam habeat jurisdictionem, vel in Nobile conferatur ab eo, qui nobilitandi habet potestatem: idque exprimat in literis Investituræ acceptæ ab eo, qui nobilitandi habet potestatem. Istud sive non-Nobile accipientem non nobilitat; quod vel à persona nobilitandi potestatem non habente, vel sine nobilitatis mentione, sine jurisdictione aliòve simili jure fit concessum, *cit. Rosenthal cap. 2. conclus. 2. n. 9.*

Quarta, quæ Feudum Nobile aliud **12.** Regale dicitur, aliud non-Regale. Regale Germanicè *Sahnentehen* est, in quo ab Imperatore vel alio Superiorem non recognoscente investitus omnem potestatem omnèque jus in terris ad hoc feudum pertinentibus habet, quò in Imperio vel Regno suo utitur Imperator vel ejusmodi Princeps: exceptis duntaxat, quæ huic in supremæ potestatis signum sunt reservata: cujusmodi Feuda in Imperio Romano sunt Electoratus, Archi- & Ducatus, Marchionatus, Comitatus &c. Non-Regale est, in quo vasallus à domino superiore recognoscen-

T b a

ss, vel

te, vel ab Imperatore quidem aut alio simili Principe vel potestate suprema de feudo v. g. pago, villa, regalem ejusmodi dignitatem annexam non habente, est investitus, *cit. Schraderus cap. 3. n. 3. § 9. & Haunold. cit. Tract. 9. n. 608.*

13. Quinta in Ligium & non-Ligium. Prius est, quod ab aliquo superiorem in temporalibus non recognoscente, eoque pacto conceditur, ut juramentum promittat Fidelitatem adversus quemcunque, nemine excepto, Feud. Lib. 2. Tit. 29. pr. ejusque jurisdictioni se & allodialia sua bona omnia subiciat, *cit. Clarus §. Feudum q. 11. n. 1. & Rosenthal cap. 2. concl. 3. à n. 2.* Quare duorum dominorum homo Ligius esse, sive à duobus summis Principibus v. g. ab Imperatore & Gallia Rege, vel ab isto & Hispania vel Anglia Regibus feuda Ligia simul obtinere nemo potest, juxta illud Christi, *Nemo potest duobus dominis servire*, Matth. cap. 6. v. 24. Glossa in *Clement. Pastoralis 2. §. Rursus de Senr. & de jud. Clarus q. cit. n. 2.* Posterius sive non-Ligium dicitur feudum, quod vasallus obtinuit à domino superiorem recognoscente eive fidelitatem jurat, alio excepto, v. g. Imperatore Rege, antiquiore domino, Feud. Lib. 2. Tit. 7. pr. Tit. 28. & 55. utrobique in fine.

Ligio extremè opponitur feudum Francum seu liberum, sic auncupatum; quòd ejus ratione vasallus non obligetur ad ullum servitium domino præstandum, præterquam ad fidelitatem: ad quam tamen & alia in Fidelitatis juramentò contenta vasallus obligatur, etiam si hujus juramenti præstatio fuerit remissa, *cit. Rosenthal cap. 2. conclus. 59. n. 3. & Schraderus cap. 4. n. 8.* quò teste hujusmodi feuda in Germania nostra valde frequentia & pleraque sunt, quæ civibus conceduntur; cum hi ad ullum servitium

ratione feudorum suorum dominis exhibendum fere non obligentur.

Sexta in Masculinum & Femininum, vulgo *Weiber oder Guntchel*, & *Wett*, quorum illud ad mares, istud autem masculis deficientibus, etiam ad feminas transit, vel; quòd ex speciali pacto ad eas quoque pertineat, & in investitura expressè actum sit, ut succedere etiam ipsæ valeant, Feud. Lib. 2. Tit. 30. pr. vel; quòd à femina originem habeat; in hujusmodi enim feudo, etiam si expressè actum non sit, feminas quoque succedere, ex communi aliorum sententiarum *cit. Schrader p. 2. cap. 4. n. 11. & Rosenthal cap. 7. conclus. 25. n. 4.* quòd initium sit inspiciendum, & à primordio tituli posterior formetur v. g. *l. Si procuratorem §. pr. ff. Mandati*; cum dominus feudum dans feminæ, tunc ad successionem habitare videtur.

Septima in Novum & Antiquum, quorum illud initium habet à persona vasalli, ad quem beneficiò solus dominus concedentis, & non ex successione pervenit: illud autem per successionem ab uno ex ascendentibus ad eum est devolutum. Quod, si à persona vasalli quartò vel proximiori gradu conjuncti, puta ab ejus patre, avo, proavo, atavo originem habet, Paternum: Antiquum autem aliqui illud solum vocant, quòd ab atavo, tritavo vel remotioribus ascendentibus ad vasallum pervenit. Sed cum hoc ita sit, modernò tamen jure & effectibus spectatis, inter feudum Antiquum & Paternum vix ullum est discrimen: eamque ob causam à RR. non patris nec matris confunduntur, Clarus §. Feudum cit. q. 8. n. 1. Inter Novum autem & Antiquum valde notabilis differentia est; quòd imprimis in illo succedant soli filii & ex his descendentes, non etiam, his deficientibus, collaterales.

rales, Feud. *Lib. 1. tit. 1. §. 2. P. §. autem:* qui tamen, Vasallò sine liberis & ab his descendentes defunctò, ad successione admittuntur in feudo Antiquo. Deinde; quòd vasallò feudum renuntiantem vel sine domini consensu alienante, id, si Novum ad dominum revertatur: si autem Antiquum est, devoluitur ad proximos agnatos; quòd his in tali feudo ex antiquis investituris sit quæsitum jus, cui Vasallus non potuit præjudicare. Feud. *Lib. 1. Tit. 8. §. 1. Haunold. cit. Tract. 9. num. 596. & 599.*

16. Octava in Hæreditarium, Gentilitium seu Familiare, & Mixtum: quorum primum Vulgò Erblichen vocatur, & Vigore investituræ alicui pro se & hæredibus quibuscunque, tam extraneis quàm suis, est concessum. Alterum sive, ut etiam nuncupatur, Feudum ex pacto & providentia, vulgò Stammenschen/ quod alicui pro se, & filiis seu liberis, nullâ hæredum mentione factâ, obtinuit. In priori ut quis succedat, sufficit, quod sit hæres: in posteriori autem, exigitur quòd sit filius vel descendens masculus, etiam si hæres non sit, Clarus. §. *cit. 9. n. 2. & 3.* Tertium sive ex Hæreditario & Gentilitio seu Familiari Mixtum feudum participat de utroque; quòd alicui concessum sit pro se & filiis hæredibus: in quo non succedunt nisi mares, in quibus utraque qualitas, scilicet sanguinis sive agnationis & hæreditatis jura concurrunt, Clarus *q. cit. n. 4. & 9. & Engel §. 1. n. 8.*

ARTICULUS II.

De Feudis ab Ecclesia concessis.

SUMMARIUM.

17. Feuda de re Allodiali quicumque,

18. Etiam femina & Clerici concedunt.
 19. Hi tamen de re Ecclesie Infeudatio,
 20. Et Subinfeudatio non nisi cum solennitate permissa est:
 21. Nisi res sint exigui valoris,
 22. Vel in feudum dari solita:
 23. Quas liberè concedunt, Constitutio-
 ne Pauli II.
 24. Et juramentò de non infeudando,
 non obstantibus
 25. Specialis ratio est prohibite infeudationis ejusmodi decimarum.
 26. Quæ res infeudari solita sit, varie Doctores sentiunt,
 27. Et conciliantur,
 28. Permissâ liberâ infeudatione rei, à quadraginta annis,
 29. Vel semel solenniter infeudata.
 30. Etiam Capitulum infeudat res proprias:
 31. Non, quæ ipsi & Pralato sunt communes.
 32. Pralatis infeudatio aliquando non permissa est vi Status Ec.
 33. Uti &, si mutatus rerum status,
 34. Vel res facta sit Mensalis.
 35. Qualis in dubio res immobilis censetur,
 36. Et evadit expressâ vel tacitâ,
 37. Imò præsumptâ Pralati declaratione.
 38. In rei infeudatione modus non excedi,
 39. Neque res transferri in potentiorum potest:
 40. Nisi à Vasallo nequeat recuperari.
 41. Feudum nondum apertum in casum apertionis promitti potest,
 42. Aliena mortis captanda periculo non obstante.
 43. Ea tamen promissio non obligat Pralati successorem:
 44. Licet obliget hæredem promittentis.
 45. Obli-

45. Obligat etiam successorem, quando promissio facta est cum consensu Capituli,
 46. Spectata saltem Ratione satis effici,
 47. Et Juris textus explicante.

17. **F**euda antiquitus contulerunt solum Imperator, Rex &, qui magistratum creandi & belli gerendi potestatem habebant, Corvin. *Jur. Feudal. Tit. 4. pr.* Cum tempore tamen etiam alii, & demum quicumque rerum suarum Allodialium liberam administrationem habent, eas infeudandi, imò & in feudum acceptas subinfeudandi obtinuerunt potestatem, Feud. *Lib. 2. Tit. 3. pr. & Tit. 35.*

18. Neque soli mares, ut olim: sed & feminae, tam de feudo, quam de re sua Allodiali & propria alium investire possunt, *cit. Tit. 3. §. 1. V. Feminam quoque*: nisi impudicè & luxuriosè vivant, bonaque sua dilapident, *arg. l. Et mulieri 15 ff. de Curat. surios. Zalius Epitom. de Feud. p. 5. n. 33. & Schrader de Feud. p. 2. cap. 1. n. 59.*

19. Scopi Abbates caterique Ecclesiarum Prælati & rectores, sicut alienate, sit etiam infeudare sine justa causa & Juris solennitatibus discretè prohibeantur Decreto Urbani II. relato Feud. *Lib. 1. Tit. 6. pr. & Extravag. Ambitiosa de Reb. Eccles. alien.* Ratio est; quia rei infeudatio alienationis rationem multò magis habet, quam ejus concessio in emphyteusin: multo quoque difficilius illa permittitur Prælati: idque non solum; quod proprius

accedat ad naturam beneficii & donationis, *cit. Lib. 2. Tit. 23. V. Imprimis, Prælati*, tanquam rerum Ecclesiasticarum non dominis, sed solum administrantibus, *c. Fraternalitatem 2. de Donat. specialiter interdictæ, can. Sine exceptione 9. 2. c. 1. & de Is que à Prælat. & c. Nulli 5. de Reb. Eccles. alien.* sed etiam quod res feudalis ad Ecclesiam difficius quam emphyteutica revertatur; cum per infeudationem prædiorum vel aliâ re immobili aut huic æquivalente fruendi perpetuum transferatur in accipientem, *V. Imprimis cit. Clarus §. Feudum 4. & Laiman Tract. de Alienat. Res Eccles. p. 5. n. 92.*

Sicut Ecclesiæ vel Monasterii sui proprias infeudare, sic etiam res in feudum ab iis acceptas subinfeudare, hoc est, in iis feudum aliis constitere, nisi præter justam causam Juris solennitates interveniant, Prælati non possunt; et illis, intervenientibus id nomine Ecclesiæ vel Monasterii sui ipsi non minus, quam aliis sit permillum, Rosenthal de Feud. *cap. 4. conclus. 15. n. 2. & Laiman l. cit.*

Excipiendæ tamen sunt Primò res modicæ, hoc est, exigui valoris, ut terræ, vineolæ &c. quæ eò ipsò, quod permolari aut aliter dittrahi, valent, *can. Terrulas 12. q. 2. ut dictum Tit. 13. n. 3. etiam infeudari poterunt, cit. Rosenthal conclus. 20. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 22.* Secundò, aliæ res Ecclesiasticæ, in feudum vel etiam in emphyteusin dari solent; has enim per obitum vassalli sine mensculis hæredibus decedentis, vel ob illicitum aut feloniam ab iplo committam, ad Ecclesiam reversas Prælati, si expresse judicaverint, denuo infeudare, aut in emphyteusin dare, etiam nullis solennitatibus adhibitis, permittuntur. *Ex parte 2. V. In primo*; quod hujusmodi iterata concessio non alienatio & infeudatio

Novo, sed potius antiquitus aut prius legitime decreta alienationis five infeudationis executio censetur; cum, quando rei in feudum vel emphyteusim concessio cum consensu Capituli & Novo Jure eam Apostolica autoritate interveniente, semel decreta fuit, decretò illò ordinatum esse videatur, ut in posterum res illa, Ecclesie vel Monasterio aperta, in feudum vel emphyteusim denuo concedatur, & alienatio continuetur, Panormit. in c. Ut super 8. de Reb. Eccles. alien. n. 11. Curtius Jun. de Feud. p. 2. q. 1. V. Quartè & Rotæ decil. alleg. Barbofa in c. Ex parte cit. n. 6.

23. Neque exceptiones istæ cessant post Extravag. cit. quia istius textu consensu Apostolico non exigitur In casibus Jure antiquo permittis, cujusmodi est can. Territas cit. relatus, & In rebus ac bonis in feudum vel emphyteusim solitis concedi, c. Ex parte cit. etiam in Prælati ad requirendum in infeudatione vel alia alienatione consensum Apostolicum proprio juramento obligatis, c. cit. Ratio est; quia hujusmodi ipsorum juramentum solum refertur ad res non-feudales, & quarum dominium, tam utile quam directum, penes Ecclesiam est: non autem ad bona in feudum vel emphyteusim dari solita: & propterea ista ad Ecclesiam, etiam quoad dominum utile reversa, in feudum vel emphyteusim dari denuo possunt, juramento illò non obstante, ut in c. Ex parte cit. cum Joan. Andr. n. 1. Panormit. n. 3. notat Fagnanus n. 5. & tradit cit. Rosenthal concl. 21. n. 22.

25. Neque exceptioni posteriori adversatur; quòd Episcopus denuo laicis infeudare nequeat decimas, ante ipsum infeudatas & ad Ecclesiam reversas, ut cum Joan. Andr. in c. Prohibemus 19. de Decimis docent Curtius Jun. cit. p. 2. q. 8. n. 5. & Menoch. de Præsumpt. lib. 6. præf. 86. n. 3.

quòd à Concilio Lateranensi laicis concedi generaliter prohibeantur, c. cit. c. cum Apostolica 7. de his que à Prælat. & c. Statutò 2. §. Sanè de Decimis in 6. quia non desunt, qui contrarium defendant cum Glossa in c. Prohibemus cit. V. Laicos & Zabarella in c. Ex parte cit. quòd hujus textus, res ad Ecclesiam reversas denuo infeudari permittentis, dispositio generalitatem Concilii Lateranensis ad decimarum novam, non antè legitime decretam, concessionem restringat. Et, si istorum DD. opinio, tanquam à mente laudati S. Concilii, propter maximum præjudicium, quòd Ecclesie imminere animadversum est, decimas omnes à laicis ad Ecclesias redire, & devolutas penes istas remanere volentis aliena displiceat, tamen vim magnam non habet à decimarum laicis denuo infeudandarum prohibitione deductum argumentum; quia id in decimis specialiter cautum est; quòd rerum statu cum tempore mutato, eas apertas reinfeudari hodie non amplius expediat Ecclesie, prout ad novam infeudationem desideratur c. Ex parte cit.

Dubium hoc locò & dissenso inter 26. DD. est, quando res infeudari solita censetur ad effectum, ut Ecclesie vel monasterio aperta reinfeudari, vel in emphyteusim denuo & liberè dari à Prælato possit. Sunt enim, qui unam duntaxat solennem ejus infeudationem vel emphyteuticacionem sufficere; ac proinde rem semel ita concessam, quandocunque ad Ecclesiam revertatur, reinfeudari vel in emphyteusim denuo liberè dari posse, velint cum Panormit. in c. Ut super cit. n. 11. & Alexand. Lib. 2. Consil. 183. n. 29. Alii, qui, præter solennem ejusmodi concessionem, exigunt tempus ad Consuetudinem requisitum, vel triginta aut quadraginta annorum, vel cujus initii memoria non existit, apud Clarum §. Feudum

9. 13. n. 4. & Redoan. de Reb. Eccles. non alien. Rubrica 33. q. 10. n. 2. Alii cum Jacobo de Beluil. in Feud. Lib. 1. cap. 1. quem etiam Clarus l. cit. & Balbus de Prescript. 1. p. 5. p. q. 20. sequuntur, præter quadragenarii temporis lapsum exigunt; ut intra hoc temporis spatium res saltem bis duobus diversis temporibus in feudum vel emphyteusim fuerit concessa. In tanto dissidio & re valde incerta.

27. Ego cum Nicolao Everardo Vol. 2. Consil. 19. n. 16. adhibendam censeo distinctionem, & considerandum, utrum rem, de qua reinfeudanda agitur, ex justa causa & intervenientibus Juris solemnitatibus in feudum vel Emphyteusim aliquando concessum constet, vel, an hujusmodi solennis concessio præcesserit, dubium & incertum sit.

28. Et posteriori quidem casu sive, cum de hujusmodi concessione aliquando facta non constat, ut à quadraginta annis in feudum vel emphyteusim data sit, exigi, primæ Sententiæ Assertoribus haud ægrè concedo cum Barbosa, id à Rota pluries decisis testante in parte cit. n. 4. Ratio est; quia tali saltem casu liberæ reinfeudationis permissio fundatur in infeudandi consuetudine, juxta Feud. Lib. 1. Tit. 1. cujus pr. Episcopus, Abbas & similes personæ Ecclesiasticæ in feudum dare posse dicuntur, Si antiquitus consuetudo fuerit. Consonat Extravag. cit. infeudationem & contractum emphyteuticum sine consensu Apostolico permittens de rebus & bonis, Ab antiquo solitis concedi. Ad legitimam autem consuetudinem, quæ res Ecclesiarum infeudari ab antiquo solita, sicut ut contra eas præscriptæ dicantur, exigitur lapsus quadraginta annorum. c. De quarta 4. c. Ad aures 6. c. Ilud 8. de Prescript. ut rectè advertit Lessius Lib. 2. de J. & J. cap. 6. n. 45. quan-

tumvis aliàs ad consuetudinem contra legem etiam Ecclesiasticam introductam regulariter decennium sufficere concedat. Porro, ut hoc casu Prælati in infeudandi quasi possessione constituant, unicum actum sufficere, R.R. aliqui volunt cum Andr. de Ifernina in Feud. cap. cit. & Rebuffo de Reb. Eccles. non alien. n. 33. etsi, ut res ab antiquo infeudabilis dicatur, DD. frequentiori calculo duos actus requirant.

Priori autem casu sive, cum rem in feudum vel emphyteusim aliquando solemniter concessam esse, constat, eam quodcumque, etiam post breve tempus ad Ecclesiam vel Monasterium revertamur, infeudari aut in emphyteusim de novo habere, sive non repetitis solemnitatibus possit, censeo cum cit. Panormit. Alex. Ifernina Redoano & Everardo, pro hac sententia magnam & præcipuam prætere Feudali Doctorem auctoritatem allegante l. cit. §. n. 5. Eadem delimitatur ex rescripto Innocentii III. c. Ex parte feudi, vasallo decedente ad Ecclesiam reversi, iteratam concessionem Prælati, si expedire viderit, liberè permittentibus, ulla ullius temporis, primò factæ concessionis, aut istius iterationis mentione obscurò indicio, rem etiam semel taxat legitimè infeudatam, quomodocumque ad Ecclesiam revertitur, reinfeudari liberè posse, juramento de non infeudando vel aliter alienando non obstante. Ratio est partim; quia Ecclesiæ vel monasterii res, ex justa causa semel alienabilis facta cum solemnitate, illà causâ dummodo perpetuò alienabilis facta censetur, sicut dicitur Bartol. in l. Pater 38. §. Quodammodo ff. de Legat. 3. Riccium in Praxi de Feud. 26. & Franc. Leonem Theaur. Fore. Eccles. p. 1. cap. 15. n. 3. partim verò quod aliquo modo juramentum à Prælato præstitum intelligatur de rebus Menia in corpore

cujusmodi non sunt, quas in feudum vel emphyteusin solenniter datas constat, Rosenthal. *cap. cit. conclus. 29. n. 1.* Fagnanus in *c. Ex parte cit. n. 7. & 9.*

Neque adversantur *c. 1. & Extrav. cit.* textus; quia imprimis uterque, ut cum aliis Juribus concilietur, exaudiendus est de casu, quò in feudationem solennem præcessisse, non constat: eoque, ut res ab antiquo infeudari solita sit, ita exigit; ut ad Ecclesiam reversæ rei aliquando solenniter infeudatæ liberam & ab omni solennitate absolutâ reinfeudationem non exciudat, ut antè laudat⁹ Everardus *n. 12.* observat. Deinde; quia *Extravag. cit.* circa infeudationem & contractum emphyteuticum, præter consensus Apostolici sub gravibus pœnis requirendi necessitatem, Jus antiquum non correctum; ac proinde *c. Ex parte cit.* dispositio integra relicta est, per tradita à Quaranta in *Summa Bullar. de Alienat. rer. Eccles. n. 5.* & Pirrhing *supra cit. Tit. 13. n. 54.*

30. Dubium secundo & non minoris momenti controversia est, an res feudales vel emphyteuticas, ad Ecclesiam vel monasterium reversas, denuo infeudare vel emphyteutare, sede vacante, Capitulum possit. Dubitandi ratio est; quòd infeudatio sit species Alienationis, *arg. c. Nulli & Extravag. cit. & liberalitatis, V. Imprimis cit.* de Ecclesiæ rebus, sede vacante, Capitulo non permissæ, juxta *dista Tit. 9. n. 26.* Sed hæc ratio non obstat, quò minus *c. Ex parte cit.* dispositio ex parte etiam in Capitulo procedat: Quare dubium resolvendum est ope distinctionis inter res feudales & dari solitas in Emphyteusin.

Et quidem si, ut in pluribus Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis Germaniæ nostræ, ejusmodi res inter Prælatum & Capitulum omnino divisæ sint: istud, sicut res proprias in feudum vel

emphyteusin semel legitimè concessas, & quomodocunque ad se reversas, sede vacante, infeudare liberè potest, secundùm Redoanum *Rubr. cit. 9. §. His paucis n. 5.* & Rosenthal *cap. cit. conclus. 26.* sic ejusmodi vacationis tempore infeudare nequit à suis separatas & proprias Prælaturæ, Redoan. *l. cit.* Ratio prioris est; quia talis infeudatio & emphyteuticatio ipsi permissa est, sede non vacante; cum earum plenam habeat administrationem, ut insinuatum est *cit. Tit. 9. n. 41.* Posterioris autem; quia Capitulum sede vacante non succedit in juribus, quæ specialiter & extraordinario Jure competunt Prælato, ut in *c. Verùm cit.* Regulæ instar traditur à Joan. Andr. *n. 9.* Panorm. *n. 8.* & Felino *n. 2.*

Si verò ejusmodi res & bona feudalium Prælato & Capitulo communia sint, ea vacante sede ad Ecclesiam reversa denuo infeudandi potestatem Capitulo competere, volunt Laiman *Tract. cit. n. 94.* & Pirrhing *ad hanc Rub. n. 20. arg. c. Unic. Ne sede Vac. in 6. &* quòd de ortis, controversiis feudalibus, dum sedes vacat, cognoscere Capituli sit. Verùm, quia ex *c. cit.* argumentum legitimè duci, & quæstionum super feudis, ad Prælatum & Capitulum indivisim spectantibus, in judicium deductarum cognitionem Capitulo competere, cum Glossa in *c. Verùm cit. V. Quæstio mota & Hostien. V. eodem arg. c. Verùm cit.* alii negant, teste Barbosa in *c. cit. n. 3.* probabilius, etiam hujusmodi res feudales, sede vacante, apertas liberè infeudari à Capitulo non posse: sed defuncti Prælati successoris reservandas, existimo cum Schradero *de Feud. p. 4. cap. 2. n. 32.*

Ab hætenus declarata & in *c. Ex parte cit.* fundata quasi Regula de rerum feudalium & emphyteutarum Ecclesiæ apertarum libera reinfeudatione Prælati permissa,

Uu

permissa, excipiendi sunt varii casus, & Primò quidem is, quò Ecclesiæ alicujus speciali Consuetudine vel Statutò introductum est, aut Prælatum & Capitulum inter inita fuit conventio; ut ad rerum feudaliū aut emphyteuticarum, ad Ecclesiam vel monasterium reversarum, novam concessionem sine Capituli consensu non procedatur; nam speciale hujusmodi jus vel conventionem observandam, ex communi DD. sensu & rectè monet Rosenthal *cit. cap. 4. conclus. 22. n. 4.*

33. Secundò casus, quò mutato rerum statu infeudationis, vel emphyteuticationis causa cessavit, ut rem feudalem vel emphyteuticam, Ecclesiæ vel monasterio apertam, denuo concedi illis jam non expedire aut damnosum videatur, v.g. si causa sufficientis defensionis adversus hostiles incurfus aliàs deficientis, ob quam castrum v.g. olim infeudatum fuit, eò per vasalli mortem ad Ecclesiam reversò, omnino cessavit; vel, si fundus cum in emphyteusin primò & solenniter concederetur, omnino sterilis fuit & incultus: quando autem ad Ecclesiam rediit, ad culturam redactus & fertilis sit; ut jam eum ab Ecclesia propriis sumptibus coli expediat: vel, si Ecclesia primæ concessionis tempore locuples, cum tempore redacta sit ad inopiam; cum enim tali casu rem Ecclesiasticam infeudandi vel emphyteuticandi causa non amplius subsistat, ad Ecclesiam vel Monasterium reversa denuo infeudari vel in emphyteusin dari sine solennitate non potest, *arg. 6. Cùm cessante 60. de Appellat. imò & c. Ex parte cit. ibi, Libere, si videris expedire, cum Panorm. in c. Ut super cit. n. 11. docent Redoan. cit. q. 7. §. Verum quia n. 3. & 4. Tamburin. Tom. 3. de Jure Abbat. disp. 14. q. 7. n. 4.*

34. Tertiò casus, quò res, in feudum vel emphyteusin solenniter data aut dari so-

lita, Ecclesiæ Mensæ fuit incorporata: cum enim per talem incorporationem utile dominium consolidetur cum directo, infeudari vel in Emphyteusin dari, nisi exigente aut suadente iustâ causâ & adhibitis Juris solennitatibus, amplius non potest, Schraderus *cit. p. 4. cap. 2. n. 21.* Rosenthal *cit. cap. 4. conclus. 33. n. 1. & Tamburin. q. cit. n. 4.*

Quando autem res, in feudum vel emphyteusin concedi solita, pro Mensæ incorporata sit habenda, controversia est, DD. aliter atque aliter sentientium, magna varietate agitata, Cujus accuratiori discussione Juris Feudalis Interpp. in DD. relicta, ea duntaxat referre libet, quæ istorum frequentiori calculò sunt approbata. Et primò quidè ea bona, quorum dominium, tam utile quam directum, penes Ecclesiâ stabiliter residet, esse de ejus Mensæ: & in dubio talia possidè quàm feudalia, nisi contrarium probetur, esse præsumi, unanimis omnium sententia est, *cit. Rosenthal. conclus. 34. n. 2. præsertim, si ea ex fidelium liberalitate, contractu aliòve simili modò primitum esse comparata, Panormit. in c. Ut super cit. n. 10. & Everard. cit. Consil. 19. n. 21.* quòd hæc Ecclesiæ oblata, ab eave comparata censentur intuitu Utilitatis, *arg. can. Videntes 12. q. 1. & ista resque retroctus ad dominium & possidentem possidè quàm ad alium pertinere videantur, Mafcard. de Probat. Conclus. 203. n. 6. Secundo, bona etiam, quæ feudalia & emphyteutica fuisse constat. talia esse diderunt & Mensæ incorporata censentur, si postquam reversa sunt, eorum fructus ab Ecclesia vel monasterio quadraginta annis sint collecti: aut à Prælato cum consensu & approbatione Capituli, aut etiam istò inconsultò, Mensæ aliquando expressè applicentur declarandò, ea in feudum vel emphyteusin non amplius concedenda.*

cedenda, sed penes Ecclesiam vel monasterium perpetuo mansura, Panormit. l. cit. Bartolus in l. Si Vacantia §. C. de Bonis vacant. n. 9. Menoch. Consil. 79. n. 10. & Everardus l. cit. n. 35. Ratio est partim; quòd, id decernere, jure nupiam prohibuit Prælato; ac proinde, cum ita favori tantum suo renuntiet, permillum sit, arg. c. Si de terra §. de Privileg. §. l. Si quis 29. C. de Pælis: partim verò; quòd ejusmodi declaratio & liberæ alienationis cessio tendat in favorem & utilitatem ipsius Ecclesiæ, istiusque res & bona immobilia ad primævam suam naturam redeant, & liberè inalienabilia evadant. Tertio, ejusmodi in feudum vel emphyteusim concedi solita aut aliquando solenniter concessa bona Mensæ incorporata censentur, si postquam aperta sunt, ab ipso Prælato vel, eò jubente aut sciente solummodo & patiente, per Officiales ad id constitutos relata sint in libros & registra, quibus cæteræ res & possessiones ad Ecclesiæ Mensam pertinentes descriptæ referuntur, secundùm cit. Bartol. n. 9. Menoch. n. 14. & Schrader. cap. 2. n. 24. Ratio est; quòd res talis esse & effecta præsumatur, quales sunt, quibus connumerat, aut quas inter est descripta, 37. Mascard. l. cit. n. 12. Quarto, cessante hujusmodi expressâ vel tacitâ declaratione, ut eadem Mensæ applicata præsumantur, DD, aliqui, ut postquam ad Ecclesiæ reverla sunt, triginta vel omnino quadraginta; alii, ut saltem decem annis propriis sumptibus culta sint, requirunt. Alii sufficere volunt, si ex iis ita cultis fructus unò annò sint collecti, apud cit. Rosenthal. à n. 9. & Mascard. à num. 13. quantum tempus exigatur & sufficiat, arbitrio judicis non obscure permittentes ac monentes, casu, quò de causa, ob quam ejusmodi ad Ecclesiæ devoluta bona à Prælato in feudum vel emphyteusim de-

nuo concessa sint, non constat, v.g. quòd bellò vel aliò modò legitime fuerit impeditus, vel idoneum Vasallum aut emphyteutam non invenerit, ea Mensæ incorporata ex solo unius vel plurium annorum lapsu non censeri.

Quartò demum excipiendus est casus, quò in re, postquam ad Ecclesiam reverla est, in feudum aut emphyteusim iterum danda excederetur modus prius solenniter decretæ aut ab antiquo solitæ concessionis ita; ut nova concessio Ecclesiæ damnosa aut minus quàm olim utilis foret: quòd contingeret, si res antè concessa ad emphyteutæ vitam, nunc ad duas vel tres ejus generationes extendere-tur: si illa vel etiam res feudalis antè concessa pro masculis vel consanguineis tantum, nunc ad fœminas vel extraneos porrigeretur; hujusmodi enim feudum vel emphyteusim sine prævio tractatu cum Capitulo, istiusque consensu & superioris approbatione à Prælato constituta, saltem quoad excessum, irrita foret, ut à Rota iteratò, & toties à Camera Imperiali judicatum, cit. Tamburinus q. 7. n. 2. & Rosenthal conclus. 27. n. 1. testantur.

Eòdem modò res feudalis propter Vasalli v.g. delictum commissa & Ecclesiæ aperta, non nisi solennitatibus adhibitis, per novam investituram transferri potest in Potentiorum; quòd hujusmodi translatione Ecclesiæ conditio difficilior reddatur, Laiman l. cit. n. 93.

Neque obstat c. Ex parte cit. §. Alia quoque & §. fm. textus; quia iste continet casum & favorem Ecclesiæ specialem; quò feudum à vasallo, v.g. illud inoper habitâ Ecclesiâ alienante, ad hanc devolutum propter illius potentiam, facilè nequit recuperari; tum enim id alicui potentiori idque recuperare valenti, etiam non adhibitis solennitatibus, concedere Prælati permittitur Rescriptò Innocentii III.

tii III. § §. *citt.* relatò; quòd Ecclesiæ melius & utilis sit, habere Vasallum, feudum ab ipsa acceptum recognoscentem, quàm alium, qui minus quidem sit potens, directum tamen dominium ipsi neget, *Vivianus in §. fin. cit. & Rosenthal cit. conclus. 16. n. 2.*

41. Dubium tertio est, an rei feudalis, quæ ad Ecclesiam vel monasterium reversa in feudum denuo concedi à prælato liberè potest, à vasallo adhuc possessæ reinfestatio in apertionis casum alicui promitti Jure possit. Non posse, suadet in utroque Jure fundata ratio; quòd sit promissio de successione viventis, scilicet de concedenda Investitura feudi ab alio adhuc possessi: cujusmodi promissio ullam obligandi vim non habet; cum ansam & occasionem præbeat voto captandæ vel optandæ mortis alienæ: & propterea, tanquam periculosa & tristissimi eventus plena bonisque moribus repugnans, irritata sit Jure utroque, reprobante pactio- nes initas de successione & hereditate viventis, *l. Stipulatio 61. ff. de O. & A. § l. fin. C. de Pactis & beneficiorum necdum vacantium collationes ac promissiones, c. 1. c. Nulla 2. c. Relatum 3. de Concess. Preb. non vac. § c. Detestanda 2. eadem Rubr. in 6.*

Sed rationi huic prævalent Feudorum Usus *Lib. 1. tit. 3. V. Sed si illa, Lib. 2. tit. 26. §. Moribus 2. V. Nisi sibi § tit 35. V. Ubi verò*, quibus locis ejusmodi promissionem subsistere, eamque feudò sibi apertò à promittente adimplendam, differè habetur, & inde etiam suadetur; quòd *c. Ex parte cit. V. In primo* Prælato stabilita sit facultas, res in feudum concedi solitas, & ad Ecclesiam reversas liberè reinfestatandis; ac proinde etiam Investituram in reversionis sive apertionis casum, sua administratione durante eventurum, promittendi; cum regulariter, quæ Jure

concedi possunt, in casum quò concessio etiam promitti, si specialiter prohibita non sint, valeant: & casu, in quem promissio collata est, eveniente debeant præstari, *c. 1. c. Qualiter 3. § l. 1. ff. de Pactis.*

Neque huic resolutioni quidquam officit contra feudi necdum aperti promissionem deducta ratio, partim; quia captandæ vel optandæ alienæ mortis periculum, ejusque voti ansa in feudis non consideratur, ut notat *Zalius p. 6. de Feud. n. 21.* & si in his quoque ejusmodi haberetur, Investituræ feudi in apertionis casum à laico facta promissione neque neque ejus hæres teneretur, contra expressos textus *citt. tit. 3. V. Laicus 1. §. Moribus 2. pr. &c.* partim verò quia de viventis successione inita pactio- nes &c. alienæ mortis votum non per se & ex fine suo, sed præter intentionem pacifcentium & merè per accidens inducunt, per tradita *Lib. 1. tit. 35. n. 12.* & que idcirco non adversantur bonis moribus præceptis Jure Naturali & Divino, sed humano duntaxat: quò ipso etiam substitutiones & fideicommissa, utroque actus alii in eventum mortis rectè constituntur.

Dubium quartò est, an in casum mortis vasalli à Prælato facta feudi promissio ne adstringatur ejus successor; ut illi sibi apertum promissario conferre tenetur. Non teneri, exploratum & clarè proditum est *citt. tit. 3. pr. §. Moribus 2. V. Secus est § tit. 35. V. Cùmque*, quibus Juris feudalis textibus discrimen inter feudorum dominos Laicos & Ecclesiasticos; & sicut ab illis factas feudorum promissiones hæres raras habere & ad implere teneri, asseritur: sic id de Ecclesiasticorum successoribus differre cogatur. Ratio est partim; quia Ecclesiasticorum

rūm & Monasteriorum Prælati Antecessoribus suis non, ut defuncto hæres in Universum, sed in Ecclesiasticum duntaxat jus succedunt, c. 1. c. Relatum 12. de Testament. neque dignitatem suam perinde, ut ille, hæreditario & à defuncto accepto, can. Plerique 5. can. Apostolica 7. Se. § 9. 1. c. 1. de Præbend. sed Electionis vel Postulationis à superiore confirmata vel admittæ aliõve Canonice institutionis jure consequuntur, arg. Regula 1. in 6. Glossa fin. in c. 1. de Solut. ubi Panormit. n. 1. & Gonzalez n. 5. Is autem, qui ejusmodi institutionis jure seu titulo dignitatem consequitur, ac proinde nullam ab Antecessore causam habet, ejus factum præstare & promissionem implere non tenetur, Baldus & Jason in l. 1. ff. de Constit. princip. n. 14. partim verò; quia, cum Prælati rerum ad Ecclesias suas pertinentium non domini, sed procuratores tantum sint, can. fin. 12. q. 1. c. c. Fraternitatem 2. de Donat. rerum prælatium duntaxat &, dum ipsi vivunt, emergentium administrationem ac dispositionem habent: non futurarum & post mortem suam gerendarum, arg. l. Meminisse 10. ff. de Offic. Proconsul. & successorum suorum administrationi præjudicare; ac proinde de feudo, post mortem suæque administratione jam finita ad Ecclesiam vel Monasterium revertere, disponere non possunt, Innocent. in c. 1. de Majorie. Vulteius Lib. 1. de Feud. cap. 10. n. 16. & Zasius p. 6. cit. n. 19.

4. Dubium quintò est; an ejusmodi, sui in prælatura Antecessoris, promissionem, etiam cum Capituli consensu factâ, successor non teneatur; id enim etiam prodictum videtur textibus ex Feudali Jure allegatis: qui omnes cum Prælatorum successores antecessorum suorum Investituras, quas Abusivas DD. vocant, &

ab his factas feudorum necdum apertorum promissiones adimplere, apertionis casu post promittentium mortem sibi occurrente, non teneri, asserant generaliter, & inter ejusmodi Investituras feudique promissiones cum vel sine Capituli consensu factas non distinguant, generaliter & indistinctè sunt exaudiendi; quòd, ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debeamus, per Regulam 1. De prætio §. ff. de Public. in rem act. c. can. Consuluisse 2. q. 5. Juris textibus accedit ratio, quâ firmata est Resolutio proximè expeditæ dubitationis.

Sed, istâ & textibus illis non obstantibus, ejusmodi promissionem etiam successorem obligari, cum Joan. ab Anania in c. fin. Ne prælati vices §. Sed si principaliter & Zabarella Consil. 99. §. Sed etiam alio defendunt in Tractat. suis de Feudis Afflict. in Tit. 3. cit. n. 6. Vulteius cit. n. 16. Rosenthal cap. 6. concl. 16. n. 7. Schrader. p. 3. cap. 2. n. 36. Hartman. Pistor. Q. Jur. Lib. 2. q. 27. à n. 30. cum relatis post q. cit. Collegiis Jurid. Lipsiensis n. 15. & Francoford. n. 11. Carpzovius Jurisprud. Fevens. p. 2. Constit. 45. def. 7. n. 5. & alii: quorum hac de re sensus eâ nititur ratione; quia Regulæ instar est, pactionibus & aliis actibus, à Prælato cum Capituli sui consensu gestis, etiam successores stare, eosque adimplere teneri, ut patet in exemplis Debitorum, in casu licito contractorum, quæ solvere, c. 1. de Solut. Locationis rei immobilis, quæ cum Capituli consensu facta stare successor tenetur, Redoanus de Feb. Eccles. non alien. q. 5. §. Primò n. 24. Covarruvias Lib. 2. Var. cap. 15. n. 6. & Molina Tract. 2. de l. c. 1. disp. 466. n. 7. Depositi, ratione cujus, cum Prælati & Capituli consensu recepti, Ecclesia & in istius Prælatura successor conveniri potest, jux-

U u ;

est, juxta dicta *tit. 16. n. 19. &c.* Un-
 praelatum in successorum præjudicium
 aliquid decernere, licet solus nequeat,
 cum Capituli tamen consensu posse, re-
 cte notant *citt. Afflicti. Decis. Neapolit.*
101. & Pistor. q. 27. n. 22.

46. Ratio horum & Resolutionis est;
 quia ex una, pactiones, promissiones ali-
 que acta à Prælo cum consensu Cap-
 ituli, ab ipsa Ecclesia vel monasterio
 gesta: & ejusmodi promissione vel actu
 alio contracta obligatio Capitularis con-
 sensus accessione ex personali in realem
 transire censetur; quod Prælatus cum
 Capitulo ipsam Ecclesiam vel Monaste-
 rium representet, & quodammodo con-
 stituar, *can. Scire 7. q. 1. & c. Relatum*
12. de Testam. quò textu Innocentius III.
Ecclesia nomine, ubi Clericorum Colle-
gium est, venire, ait, communem Congre-
gationem, scilicet Capitulum seu Con-
ventum vel Prælatum cum Capitulo seu
Conventu, tanquam fictum Corpus Ec-
clesiasticum, cujus caput Episcopus vel
Abbas, membra Canonici vel Monachi
sunt, c. Novit 4. de His qua à Prælat.
ubi Panormit. n. 2. & Tuschus Practic.
V. Ecclesia conclus. 19. n. 1. Ex altera
 verò parte, Ecclesia & Monasterium
 pactionibus aliisque actibus suis stare,
 eosque adimplere tenetur; ne datam fi-
 dem fallere, & secum pacifcentes frau-
 dare videatur, contra textum *c. Per tuas 5.*
de Donat. & contra Equitatem Naturalem,
 à qua cum fidem datam fallere alienum
 sit, *l. 1. pr. ff. de Pactis, id vel maxi-*
mè alienum erit ab Ecclesia, qua Justit-
ia cultrix & auctrix esse debet, Feud.
Lib. 1. tit. 13. V. Sed diversum: & pacta
custodiri atque adimpleri severè præcep-
it, c. 1. c. Qualiter 3. de Pactis & c. No-
vit 13. V. Licet autem de Judiciis.

Confirmatur hæc ratio; quia eò ip-
 so, quod pactione & promissione, à

Prælo cum Capitulo consensu facta,
 stare Ecclesia, eà stare etiam eius reum
 administrator, sicut, Antecessor, sic de
 Successor tenetur, cum; quia morte &
 mutatione Prælati, administratoris hæc
 Ecclesia non moritur vel mutatur, *can.*
Liberti 12. q. 2. c. Si gratiosè 5. de Re-
script. in 6. & l. jubemus 14. in pr. per
C. de SS. Eccles. sed eadem tempore & in-
 variata manet, *arg. l. Proponatur 11.*
ff. de Judiciis: tum verò; quia, sicut
Antecessor, sic & Successor Ecclesie reum
generalem habet administrationem, can.
Quisquis q. 2. cit. & c. Edoceri 21. de Re-
script. ac proinde promissiones, quibus
 tenetur Ecclesia, hujus nomine adim-
 plere tenetur. Accedit; quod, si pa-
 ctionem & promissionem Ecclesie im-
 plere non teneretur Successor in ejus Præ-
 latura, id damnosum foret ipsi Ecclesie;
 cum nemo facile esset, qui cum Eccle-
 sia ejusque Prælo & Capitulo contra-
 here vellet.

Quare non obstant *citt.* textus Feo-
 dales; cum istorum generalitatem ad
 promissiones feudi, à Prælo sine Cap-
 itulo factas, restringendam evincat Ambro-
 ritas DD. maxima & solida ratio: quæ
 ut anima corpori, sic ipsa legum veritas
 dominatur, *l. Scire 17. ff. de LL. & la-*
galem dispositionem ad suos limites re-
stringit, arg. l. Cum melior 55. ff. de
luto matrim. Everard. Legal. arg. l. 1.
34. à n. 1.

Non magis urget ratio in contra-
 rium deducta; cum enim feudi promissio,
 in Apertionis casum à Prælo cum
 Capitulo consensu facta, ipsius Ecclesie
 promissio censeatur, ex eaque orta obliga-
 tio realis sit, ab Ecclesie administra-
 tore seu Prælo, sicut Antecessore, sic
 & Successore adimplenda est,

ARTICULUS III.

De Feudis ab Ecclesia
acceptis.

SUMMARIUM.

48. Feudi capaces hodie sunt quicumque,
49. Etiam Clericus: imo & Religiosus.
50. Nisi id exigat servitium personale, Religioso non conveniens.
51. Ipso tamen mortuo feudum devolvitur ad proximos agnatos.
52. Religiosus aliquando excluditur in prima concessione feudi,
53. Vel ratione huic annexa dignitatis &c.
54. Feudi sibi oppignorati fructus dominus directus,
55. Etiam laicus lucratur:
56. Si interea servitia non presententur à vasallo.
57. Idem lucratur fructus sibi oppignorata rei emphyteutica:
58. Si interea canon non solvatur:
59. Nonnullis tamen casibus exceptis.

antè obtinebant, assumptione Clericatus & Religiosæ vitæ professione excidant, *Lib. cit. Tit. 36. & clarius Tit. 26. §. 4. V. Qui* cujus palmaris textus est, *Qui Clericus efficitur aut votum Religionis assumit, hoc ipso feudum amittit.* Ratio redditur *Tit. 21. Eo, quod desit esse miles seculi, qui factus est miles Christi: nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium.* unde *Zalius Epitom. Feud. p. 5. n. 72.* licet, clericos feudorum capaces esse, inficiari contra communem DD. Opinionem veritus sit, considerandum tamen proponit; quod clericus sit de forte Domini: qui Divinis officii & contemplationi deditus ab omni secularium strepitu semotus esse debet, ut & ipse dominum possideat, & ab ipso domino possideatur, ex sententia *S. Hieronymi can. Clericus 5. & can. Duo sunt 12. q. 1. relati.*

Sed, bona istius, maximi quidem 49. **ICT.** sed non optimi Catholici pace, à communi, ut ipse agnoscit, & vera DD. sententia nullatenus recedendum: atque cum *Claro §. Feudum q. 78. n. 3.* statuendum est, clericos & ipsos etiam Religiosos feudorum non esse incapaces; cum ad ista admitti clericos, exploratum sit ex *c. Ex transmissa 8. & c. Verum 7. de Foro compet. & Religiosos etiam ex c. Unico §. Verum de Statu Regular. in 6.* Imò ex *Feud. Lib. 2. Tit. 40. §. 1. & generali Consuetudine, præsertim Imperii Romani; cum in Getmania nostra ab Episcopis, Abbatibus aliisque personis Ecclesiasticis feuda etiam Majora & Regalia, dignitati suæ annexa obtineri videamus.*

Neque communi huic hodiè que indubitata sententiæ adversantur ex *Ulibus Feudalibus deprompti textus, cum; quia à propria Feudorum natura, sicut quoad alia, sit etiam quoad personas multum recep-*

Quantumvis antiquitus Feudi capax non existimaretur, qui Magistratui gerendo idoneus, vel belli muneribus explendis aptus non esset, *Corvinus Jur. Feud. Tit. 5. pr.* Cum tempore tamen etiam alii, & hodie ea accipere sine ulla conditionis flexis, ætatis, status discrimine possunt omnes, *Feud. Lib. 2. Tit. 3. §. 1. V. Personam.*

An etiam Clerici & Religiosi, in dubium & controversiam vocari solet; quòd *Ulibus Feudalibus non tantum à successione in feudis removeantur, Lib. 2. Tit. 30. V. Ex hoc; sed iis etiam, quæ*

recessum : & ad ea cum tempore , sicut femina & alii, ad personale servitium domino exhibendum incapaces , sic etiam clerici & Religiosi sunt admissi , *c. citr.* 50 tum verò ; quia , licet clerici & multò magis Religiosi hodie obtinere & retinere nequeant feuda exigentia servitium personale , quod à vassallo per se & non per alium obeundum est ; & ab ipso per se obiri decenter non potest : retinere tamen , imò obtinere possunt feuda Franca, & exigentia præstationem solum realem : imò etiam obsequium personale , sed quod à clerico decenter per, aut substitutum exhiberi potest, Rosenthal de Feud. *cap. 7. conclus. 30. à n. 19.* Fachineus *Controvers. Lib. 7. cap. 35. à §. Quinta* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 22.* ubi, Clericos & Religiosus ad omnia feuda , etiam pro feminis concessa admitti, eosque his quoad successionem æquiparari, notant.

Ridicula quidem servitorum per substitutum præstatio & frigida videtur Zasio *citr. n. 72.* quòd clericus & Religiosus, sibi non conveniens servitium per alium præstans, honestiùs non agat, quam si per substitutum furetur. Sed hæc æquiparatio tanto ICTO, planè indigna est ; cum , licet per alium obiri honestè nequeant , quæ intrinsecè mala aut simpliciter & omnibus prohibita sunt, per eum tamen licitè obiri queant , quæ , cum aliàs licita sint, alicui tamen ratione qualitatis suæ personæ sunt interdita , ut rectè advertit Haunold. *Tom. 3. de I. & I. Tract. 9. n. 654.*

Quare, sicut omnino Franca & realia tantum præstationi obnoxia , sic etiam servitium personale , à clericali aut Religioso statu non alienum , vel quod per alium præstari valet , exigentia vassallus Ordinibus etiam sacris initiatus aut Religionem , successionis in bonis tempo-

ralibus capacem , professus retinet & in monasterium transtert ; ut hoc omnino ejus utilitatem percipiat ad dies vite ipsius professi : & , istò primum mortali feudum devolvatur ad proximos agnatos, vel his aliisque, qui ex tenore Invefituræ vocantur, deficientibus ad dominum directum revertatur , ut cum Panormit. *in c. In presentia 8. de Probat. n. 69.* Bartolo *in Auth. Ingressi C. de SS. Eccl. n. 44.* & aliis utriusque Juris Interpp. docent Clarus *§. cit. q. 78. n. 1.* Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 140. n. 17.* Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 11. n. 26.* & alii, persuasi Regulà *Auth. cit.* bona Professu monasterio generaliter addicentis,

Excipiuntur tamen , & ad monasterium, præter ea, quæ servitium ipsius vassalli à Religioso statu alienum exigunt, non transeunt Imprimis Feuda, quæ à prima concessione appositam habent clausulam, monasterium excludentem : quæ clausula cum familiæ conservatione, nem utique honestum spectet, servanda & ejusmodi feudum ad proximos agnatos potius devolvetur , quam ad monasterium , etiam ad professi vitam transferatur , *citr. Molina n. 15.* & Sanchez *n. 40.* Deinde feuda , quibus Regalium Ducalis aut alia ejusmodi dignitas & jurisdictionis temporalis est annexa ; cum quoque hujusmodi feuda *Auth. cit.* Regulam contraria variorum Regnorum consuetudine temperatam, iidem Molina *n. 15.* & Sanchez *n. 42.* advertant. Et demum ea , quæ exigunt servitium industria personæ , Panormit. *in c. cit. n. 69.* & Sanchez *n. 44.*

Dubium hoc loco & difficultas non levis est de fructibus , provenientibus ex feudo , quod pro mutuo vel alio debito à vassallo oppignoratam est ipsi domino directo. Et quidem , si iste Ecclesiæ vel Mo-

vel Monasterium sit, fructus huic cedere, & in sortem non imputandos, patet ex *c. 1. hanc Rubr. & c. Conquestus 8. de Usuris*. Si verò dominus directus laicus sit, Glossa in *Utrumque cc. citr.*, eos in sortem censuit imputandos; ut summa ex credito debita decreseat, pro ratione fructuum perceptorum: & si isti sortem adæquent, debitum omnino extinguatur, sive vasallus Ecclesia sive laicus sit; quod *cc. citr.* specialis favor indultus sit Ecclesiis & Monasteriis, quando penes ipsa est dominium directum.

55. Hanc tamen illorum textuum expositionem cæteri Interpp. unanimi consensu & merito rejiciunt; quia si, ut aliarum rerum fructiferarum, sic etiam feudi, domino directo oppignorati, fructuum lucrum Usurarium & inhonestum est, non minus, imò multò magis Ecclesiæ, quàm laico creditori debet negari; cum enim multa laicis permittantur, quæ Ecclesiasticis prohibentur, *can. Fornicari 10. disp. 88. c. 1. & c. Ne clerici vel monachi, lucrum illud, si justum, non magis Ecclesiis quàm laicis: si injustum & Usurarium est, illis multò minus quàm istis debet concedi; quia Usurarum utriusque Testamenti tabulis damnata iniquitas, c. Quia 3. & c. Super eo 4. de Usuris, etiam & vel maxime detestanda est in Ecclesiasticis, c. 1. & c. Quoniam 2. eadem Rubr.* quos lucris temporalibus specialiter non convenit inhiare, *c. Ex parte 18. in fine de Censibus*.

56. Quare cum Interpp. illis, sicut Ecclesiis, sic etiam cuiusque alteri domino directo, feudum à vasallo sibi oppignoratum detinenti, ejus fructuum lucrum, si vasallus interea servitia non præstet, *cc. citr.* adstrui, rectè docent Covarruvias *Lib. 3. Var. cap. 1. n. 4. cit. Molina disp. 323. n. 2. Canisus de Usuris cap. 6. n. 4. & Palao Tratt. 32. disp.*

4. p. 22. n. 3. Quòd autem illorum lucrum ab Usuraria labe immune sit, desumitur ex natura feudi; cum enim hoc ex prima sua institutione gratis & intuitu servitiorum à vasallo exhibendorum concedatur, consequens est, ut vasallus, quamdiu sine sua culpa & cum domini consensu feudò caret, ab obsequiis & muneribus domino exhibendis sit immunis: & vicissim, cum re feudali ex ipsius voluntate penes dominum existente ipse ab obsequiis præstandis liber est, illius fructus non percipiat; cum cesset causa, ob quam res in feudum data, istiusque fructus sunt concessi.

Neque hac in re multum refert, an fructus servitia adæquent, vel ista excedant; cum enim feudum initio gratis concessum sit, ut ejus fructus quantumvis amplos vasallus percipiat, si servitium præstet: non autem, si hoc non præstet, ii quanticumque sint, à domino, feudum sibi oppignoratum detinente sine injuria, vi primi contractus retinentur, quamdiu servitia non exhibentur, Panormit. in *c. Conquestus cit. n. 2. Barbosa in c. 1. cit. n. 2. & Zaxius ad hanc Rubr. n. 6.* Unde

Dubium & controversia alia nascitur, an *c. 1. & c. Conquestus citr.* decisio locum habeat in re emphyteutica, & istius in pignus receptæ fructus lucratur dominus directus. Ratio dubitandi est; quòd *cc. citr.* dispositione restringatur Jus commune: quò spectatò, pignoris fructus in sortem imputandi sunt, *c. Cum contra 6. de Pignorib. c. 1. c. Quoniam citr. & c.* unde illam, tanquam odiosam, à feudo ad emphyteusin non extendendam, existimat Covarruvias *cit. n. 4. in fine*. Sed, si Jus penitius inspiciatur, *c. 1. & c. Conquestus citr.* Jus commune non tam restringitur, quàm declaratur; cum istò nusquam cautum sit, 57.

Xx ne gra-

ne gratuita concessioni rei apponatur clauula: vi cuius, quodcumque; & quamdiu, sicut seruitium non exhibetur, sic etiam canon vel pensio non soluitur, ex ea oppignorata provenientes fructus suos non faciat dominus directus; eo quod conditione, sub qua res concessa est, cessante contractus obligatio suspendatur.

58. Quare etiam rei in emphyteusim gratis concessa, sibi que oppignorata fructus, si interea canon seu pensio non solvatur, dominus directus suos faciet & in sortem non tenebitur imputare; cum enim feudum & emphyteusis fere sint eiusdem naturae, dispositum in illo locum etiam in ista habet, quando utrobique est eadem ratio, & de emphyteusi aliud Jure non expressum, ut late Everard. *Legal. arg. loco 29. & 30.* Unde ea, quam amplector *ec. cit.* interpretatio Comprehensiva potius quam Extensiva est, ut cum Speculat. *Tit. de Feudo §. 2. n. 63. V. Non interest*, probè advertit Fagnanus in *c. 1. cit. n. 8.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 20.*

59. Excipiendum tamen imprimis est feudum Francum; cum enim hoc à ser-

vitiis liberum sit, ejus pro Mutuo vel alio debito oppignorati fructus percipere dominus directus non potest, sicut iter *V. Feudum n. 20.* & Barboza in *c. 1. cit. n. 2. V. Limita tandem.* Deinde, feudum & emphyteusis, si ab initio non concessa gratis, sed pecuniâ sint comparata; cum enim illorum fructus percipiendi jus pretiò comparatum emphyteusis sit, eorum oppignoratorum fructus in sortem imputandi erunt: & si locari dominus creditor voluerit, immutatio non erit ab Usuraria iniquitate: quia si etiam contaminaret, si ex feudo, valitè sumptibus meliorato, sibi que oppignorato provenientes fructus omnes, eorum qui meliorationibus respondent, velut lucrari, ac proinde, ut ab Usura excusetur, ii saltem fructus, qui pretiò, quod feudum est comparatum, & meliorationibus respondent, detrahendi & in sortem imputandi erunt, ut cum Navarro *Manual. cap. 17. n. 217. cit.* Covarr. *via n. 1.* & Molina *n. 1.* notant Barboza in *c. 1. n. 2. V. Limita cit.* & Gonzalez in *c. cit. n. 4.*



TITVLVS XXI.

De Pignoribus & aliis Cautionibus.

SUMMARIUM.

1. Pignoris varia acceptio.
2. Pro contractu sumpti definitio.
3. Et differentia ab Hypotheca.
4. Qua vel Expressa (eaque Specialis aut Generalis.)

5. Vel Tacita est.
6. Qualem Jure constitutam habent Creditores variis.
7. Et Ecclesia in bonis suis Praeatis.
8. Res illius immobilis sine solennitate Hypotheca Speciali.